



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput III. De * Strenua Vita prædicti Prioris circa semetipsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

sedem tollens igni inter alios se admovit, & silentio ibidem observato, cum calefactus fuit, sicut agnus mansuetus cum morum gravitate inde discessit.

CAPUT III.

** rigorosa. De * Strenua Vita prædicti Prioris circa semetipsum.*

Fuit præterea prædictus Prior satis strenuus in semetipsum; nam in angulo Ecclesiæ supra nudum pavementum tantum culcitram suppositam nocturnis temporibus requievit. Et quodam tempore, dum quendam clericum hospitio reciperet, ac ex paupertate lecto careret, quo eum per noctem quiescere faceret, misericordiam motus ipsum ad suum stratum ire fecit, ipse verò dum cubitum ire vellet, nesciens quò se verteret ad quietem, noctem (ut reor) magnam ex parte insomnem duxit. Prædictus Prior cum magnum frigus ex vestimentorum defectu sustineret, & hoc Domino Guntramno cuidam devoto sacerdoti oppidi Geseke indicatum fuit, ille æquo animo hoc ferre non valens (maximè cum idem Prior tener corpore fuit) pellicium, quo frigus depelleret, eidem miserat, quo dum ille parvo tempore utebatur, uni de sibi subjectis illud ad induendum ministravit; hoc peracto idem Prior tam validum frigus perpeffus est, ut omnia ejus corporis membra tremorem sustinerent, quod dum quidam Conversus nomine Henricus Krulenberg cernebat, compassionem motus in lacrymas solvebatur.

CAPUT IV.

De Patientia & Charitate prædicti Prioris.

Patientia insuper plenus extitit atque charitate. Nam quodam tempore, ipso Paderbornæ pro causis sui Monasterij existente supervenit Subprior suus Daniel nomine nuntians ei, quòd Otto Comes de Woldige omnes Monasterij oves & boves armatam manu abstulisset, ille caput inclinans humili voce ait in hæc verba: *Manducant Spiritum sanctum in his pecoribus nostris, quæ nobis abstulerunt; velut*
bono-